

Dissertatio

Sistens

*Theoriam Mentis Humanæ
Revelatione Excultæ,*

Cujus

Partem II.

Philosophicam;

Consens. Ampl. Facult. Philos. Aboëns.

Publico examini modeste offerunt

JACOBUS BONSDORFF,

S. S. Theol. Licentiat & Adjunct Ordin.

Et

GEORGIUS BORGSTRÔM,

Wiburgensis.

In Audit. Maj. die XVIII. Dec. A. MDCCXCIII.

H. A. M. S.

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.

Theoriae Naturae Mathematicae
Revelatione Esotericæ

Copie

Partem II.

Philosophiam

Cosmologiam, Astronomiam, Geographiam, Meteorologiam, Medicinam, Jurisprudentiam, Politicam, Historiam, Ethicam, Poeticam, Musicam, Mechanicam, Mathematicam, Philosophiam Naturalem, Philosophiam Moralem, Philosophiam Politicam, Philosophiam Jurisprudentiam, Philosophiam Medicinam, Philosophiam Astronomiam, Philosophiam Geographiam, Philosophiam Meteorologiam, Philosophiam Politicam, Philosophiam Historiam, Philosophiam Ethicam, Philosophiam Poeticam, Philosophiam Musicam, Philosophiam Mechanicam, Philosophiam Mathematicam, Philosophiam Naturalem, Philosophiam Moralem, Philosophiam Politicam, Philosophiam Jurisprudentiam, Philosophiam Medicinam, Philosophiam Astronomiam, Philosophiam Geographiam, Philosophiam Meteorologiam, Philosophiam Politicam, Philosophiam Historiam, Philosophiam Ethicam, Philosophiam Poeticam, Philosophiam Musicam, Philosophiam Mechanicam, Philosophiam Mathematicam.

Philosophiam Naturalem, Philosophiam Moralem, Philosophiam Politicam, Philosophiam Jurisprudentiam, Philosophiam Medicinam, Philosophiam Astronomiam, Philosophiam Geographiam, Philosophiam Meteorologiam, Philosophiam Politicam, Philosophiam Historiam, Philosophiam Ethicam, Philosophiam Poeticam, Philosophiam Musicam, Philosophiam Mechanicam, Philosophiam Mathematicam.

JACOBUS BONSDORFF

in A. & T. Verlag, Leipzig, 1801.

in

GEORGIUS BORGSTROM

in

in A. & T. Verlag, Leipzig, 1801.

H. A. M. S.

AND, Type (reversed)

§. VII.

Quoniam omnis de statu Religionis & Philosophiæ antiquioris ævi instituenda disputatio mere historica sit, ipsissimisque humanæ vitæ factis ac monumentis innixa, nonnulla igitur heic, quantum scilicet pro nostro consilio & brevitate fieri possit, ex historia hominis resumenda erunt atque dijudicanda. Ut vero certum est, historiam, fidissimam esse ministram in aperiendis originibus studiorum, opinionum, desideriorum, morum, eorumque progressibus & fati diversissimis, quibus humana natura aut culta aut depravata evasit, ita neque imperitus adeo esse potest quisquam, ut inter hos fontes opinionum & morum, Divinam quoque informationem, sive scriptis, sive traditione propagatam non referat. Patet quippe ex historicis monumentis, sanio rem religionem ea ex stirpe hominum primitus profluxisse, unde ceteræ omnes gentes originem duxerunt, adeo ut humano generi coæva sit religio habenda. In qua quidem veritate agnoscenda, cum ad angustias redacti essent nonnulli a), qui plus sibi sui que ingenii lusibus indulgere, quam ingenuæ sinceritati studere voluerunt, ad eam usque insaniam prolapsi sunt, ut non modo præfractæ negarent primævam humani generis ætatem atque originem supernaturalem, verum etiam absurde fingerent, homines e terra primum instar plantarum enatos, bestialem naturam & vitam deinceps per fatalem quandam mutationem sensim induisse, post longam demum annorum ac generationum seriem ad humanam dignitatem, saltem quandam ejus speciem evectos fuisse, feritate tamen morum adhucdum remanente, donec per vires animi non innatas, aut Di-

E

vino

a) Qualis Anonym. in *Philos. u. Critisch. untersuch. uber d. A. T.*

vino sustentante Numine directas, sed sponte succrescentes, humana hæc scilicet planta, artes, scientias, ipsamque religionem, & mores politiores efformaret sibi que vindicaret. Cumque religio sana, altioris deprehenderetur esse indaginis & cultioris ingenii, polytheismus autem propius cum barbarie primæva congruere videretur, facile ergo in eam induci opus fuit fallaciam, ut historiarum universarum reclamantes, idololatriam salutarent utpote necessarium quendam gradum ad saniores Dei cognitionem obtinendam; quare nec alio ullo insuper fundamento suffulcienda foret religio *b*). Verum enimvero historia præferente facem patet, ita Divinam cum humano genere fuisse comparatam providentiam, ut mox ab initio, cum parum adhuc culta esse potuerit mens, nec tanta indigentiarum existeret vis, aut facultatum sese explicandi ratio, quanta vividissimis de Deo conceptibus formandis sufficeret, brevem ipsa hominibus suppeditaret instructionem salutarem *c*). Ad quam non opus est, ut cogitemus expressa verba seu sonos articulatos, nec infusionem, qualis est in eo qui alterius excipit suo calamo dicta, sed quæ mentis facultates ita moveret, dirigeret

b) Quas & reliquas ejusdem generis ineptias, dudum ex insincito profligarunt REIMAR, (*Naturl. Relig.*) & ECKARD *Philos. u. Crit. Untersuch. über d. A. T. C. II. III.* Præterquam enim quod inaniter ludunt de ortu & ætate hominum, quam non ex historia sed conjectura profus absurda expiscantur, precaria quoque & inutilia sunt, quæ ex feritate nonnullarum gentium recentiorum, ad antiquissimum humani generis habitum inducunt demonstrandum.

c) Cfr. TREMBLY *Instruction sur la Rel.* Tom. I. *Disc. V.* HESS *v. Reiche Gott.* ADDISON *Spectator T. VIII. p. 168.* *whatever præjudices and errors human nature lies under, we find that either reason or tradition from our first parents, has discovered to all people, something in these great points, which bears analogy to truth, and to the doctrines opened to us by divine revelation.*

geret atque elevarer, ut melius vividiusque perspectas sibi reddere Religiosas veritates posset. Nec opus est ut ad miraculum quoddam menti contrarium, in hisce veritatibus summe necessariis, de unius veri Dei existentia & cultu manifestandis, confugiamus. Deus enim, sive ordinario sive singulari & a vulgari naturæ ordine recedente agat modo, semper tamen sese facultatibus hominis, quas ipse sapienter instituit, providenter attemperat.

Mosaica vero est historia, ubi antiquissima illa & pretiosa humani generis & religionis monumenta exstant, quæ omnium aliarum nationum historias antiquitate summa, tum quoque dignitate antecellunt *d*). Quibus e monumentis, ut quoque ceteris Hebrææ gentis sacratoribus scriptis patet, quid ad illibatam sanctamque conservandam religionem contulerint studia primorum hominum, pie Deum totius mundi auctorem colentium, quid studia Patriarcharum, quid tota legislatio Mosaica, Judaicæque gentis mirabili Dei manu fota atque promota fata. Quam castæ enim & sublimes veritates de unico vero Deo, Governatore mundi, pœnarum & præmiorum justo distributore, vitæque immortalis statore, quam sublimia virtutum incitamenta in scriptis Mosaicis, pariter ac Prophetis reliquis, latent! Mirum est ergo, quæ arrogantia ceperit plerosque Deistas, & inter hos nuperrime VOLTAIRIUM & Fragmentistam, in *Beytrage zu Gesch. u. Litter. P. IV. Fr. IV.* ut Mosaicam Oeconomiam, nec religionis quodam consilio latam fuisse, nec quidquam ad divam hanc sapientiam instillandam, contulisse, insolenter asserent, eo tantum præcipuo jactantes argumento, quod Judaicæ genti plane incognita fuerit doctrina de animi

E 2 im-

d) JERUSALEM *Betrakt.* P. II. C. 2. P. III, c. 5. & EICHHORN *Einleit. ins A. T.* P. II.



immortalitate. Cui assertioni alii alia innectunt argumeta, ex indole rituum Leviticorum & doctrinae Mosaicae desumpta, & quidem eo parum honesto consilio, ut excellentiam infringere Judaicæ religionis. Quamquam autem multi jamjam, in hac defendenda elegantissima veritatis palæstra desudarunt, propter novos tamen ictus, quibus doctrinam Mosis rigidiores laceßere siveverunt censors, hoc loco res plane prætermitti nequit. Gratis omnino statuit Anonym. ap. LESSING. nullam salutiteram religionem aut revelationem supernaturalem condi posse, quæ destituatur spe & cognitione immortalis vitæ; atque cum in Mosaicis scriptis hanc non invenerit, mere politicam concludit fuisse legem Mosis, scriptaque universa V. I. nullos fere edidisse fructus. Etenim si quadante nus daretur, quod multi frustra dare solent, ignotam penitus Hebræis, usque ad captivitatem Babylon. fuisse doctrinam hancce, nihilo tamen minus vere Divina manebit legislatio Mosaica, & religione superstructa in iis omnibus capitibus, quæ clarissimis indicant doctrinam de Deo, verbis. Alias quoque sequeretur, nullam religionem naturalem dari, quia obscurius & hæsitantius de immortalitate disseruerint antiqui Philosophi. Nec quidquam derogat auctoritati legum Mosaicarum, quin potius apprimè ad eam stabiliendam conducit, quod præmia & pœnas hujus, non futuræ vitæ, instar motivorum, adjunxerit Moles. Politicis enim legibus, præsentis & temporales conveniunt rationes, non futuri seculi; & si attendatur ad genium istius ævi nondum satis exculti & morali sensu imbuti, sed pedetentim imbuendi, præcocior certe fuisset & cum dispendio fundamentalium veritatum conjuncta, immo quoque fructu suo destituta, talis institutio. Cum vero hinc inferunt, & Mosis ante tempora & postea, in universum Hebræis ignotum plane fuisse, urrum
post

post mortem exspirarent nec ne, rem fatis improbabilem proponunt, cum tamen ipsi concedant, gentibus plerisque profanis spem aternitatis solennem fuisse, & in confesso sit, antiquis omnibus inveteratam fuisse ideam regni subterranei, in quod mortui quilibet descenderent & ad incertas sedes circumvagando errarent; quin etiam destinata crederetur, piis in hebræa gente, beata mansio apud Deum, nec oblivioni prorsus tradendos esse, qui vitam probam egerint, dubitari nequit, dummodo rite vestigia sacrorum oraculorum premamus. Deum enim Henochum aliosque ad se e vita mortalium transtulisse, & spem haud vanam dedisse, ut ad majorum suorum colligerentur consortium, quid aliud innuit, quam familiarem, obscuram licet, futuri ævi notionem? Alia bene multa documenta, disertaque testimonia prætereuntes, quibus in rem suam rite usi sunt Illustres viri MICHAËLIS, JERUSALEM, IRHOVIUS, monemus, necromantiam veterem, quam Judæis interdixit Mōses, ne ad Idololatriam insanam vergeret, indicio esse vulgarissimæ hujus fidei. Pleraque autem dicta V. T. apud Fragm. p. 394-419 allata, quæ de metu mortis & vanitate omnium rerum, atque adeo ipsius vitæ humanæ fragilitate agunt, perperam torquentur ad denegandum futurum quendam statum, cum sæpissime etiam Christianis ipsis largiendum sit, quod terrore mortis nimio correpti, se nunquam ad vitam ejusque delicias redituros doleant, discesumque e vita quam longissime dilatatum optent. Certum tamen manet, immortalitatis ideam, per Christum demum luci restitutam ac ab erroribus purgatam esse. Quod præterea tantopere vexare solent ritus molaicos, quasi morali omni usu destituti fuissent e), id quidem longe falsissimum est; Ete-

E 3 nim

e) Das allermeiste bey dem Gottesdienste var doch der gesunden Vernunft und den Sinnen zuwieder, Fragm, p. 391.

nimi tantam laudem, tantumque fructum suis temporibus impertierant, ut inmodesti sit critici, denegare idem aut male interpretari velle. Cultui enim externo, quamquam lautissimo, morale tamen adnexum fuisse consilium, & sensuali populo optima praeuisse adjumenta, ne ad Idolorum insanum cultum dilcederet, satis evictum est; ut quoque contra novaturientes quosdam Philosophos, probatione ulteriori haud eget, Mosis doctrinam de Deo, utpote totius mundi conditore & sustentatore, nequaquam aut ipsam commixtam praedictio quodam fuisse, aut ansam dedisse opinioni, qua Deum tanquam Nationalem quendam, & Judaeorum Tutelare Numen, quem admodum ceterae gentes sua Numina coluere, censerent *f*. Quam diversam enim ab intricatissima Gentilium philosophia & religionis theoria inveniet Mosis & Prophetarum doctrinam, quisquis vel levisimam instituerit comparisonem utriusque; ut quoque extra dubium ponet, Revelationem, quae in gente Judaica ejusque Sacris Scriptis illibata mansit, instar fontis esse censendam, unde non modo Israëliitarum irrigabantur indies arva, verum etiam sanior Gentilium manaverit cognitio religiosa. Rude quamquam, & propter vulgarem vicinarum gentium plerarumque contagionem ad varia molimina idololatrica pronum fuerit ingenium Judaicum, tantum tamen valuit Divina revelatio huic genti impertita, ut inde a primis originibus, per plurima secula usque ad Christum, illibatam servaverit religionem, atque pietatem felicitatemque promoverit. Triplici enim ex capite, revelationis summa necessitas & utilitas consideranda videtur; nimirum, & quia per continuos gradus viam Christianae luci splendidissimae aperuerit; & quia Judaico populo religionem in-

D) Sed de his cfr. ECKARD cit. C. VII. & JERUSAL. P. III. C. V.

instillaverit, cujus sancta observatio, salus concilianda erat; & denique, quoniam aliis exteris gentibus, ad partem quandam levisimam proficua fuerit; quare iniquissimum esset, & historiarum istorum temporum prorsus repugnaret, statuere, Judaicam religionem otiosam fuisse & iis, quibus proxime promulgata fuit, & adjacentibus nonnullis gentibus. Haud quidem adserendum est, Religionem Judaicam, utpote politico vinculo huic genti propriam, accommodatam quoque fuisse & aptam generali humani generis institutioni, cui post varios gradus ac propedeumata Christiana religio destinata erat ac sufficere sola posset g). Neque urgendum erit, antiquas gentes, apud quas nondum viguit magnum litterarum commercium cum Judaica natione, quam contra parvi aestimabant, (Romana imprimis Gens, teste & interprete TACITO *Hist. Lib. V. c. 3-5.*) multa adeo ex eorum scriptis mutuasse. Neque nos omnem coactam illam Physiologiam antiquae Religionis Ethnicae, quam e Patribus multi, ut CLEMENS ALEX. ATHENAG. JUSTINUS, IRENEUS cet. & ex nostratibus PFANNERUS, VOSSIUS & alii facili errore inducti excogitarunt, adprobendam esse ducimus b). Quod autem

g) Cfr. JERUS. cit. P. II. III. HESS. *Reiche G. & Geschichte Isr.* BASTHOLM *Jodische Historie*, & SCHUCKFORD *the sacred and proph. hist. collated*, BUDDÆI *Hist. V. T.*

h) Satis quippe, ut exemplis rem confirmemus, vaga sunt, quae pro traditione Oraculorum Sibyllinorum pugnant Patres Eccles. & PFANNERUS, SCHMID. al. Recentior certe crisis dudum haec carmina, quemadmodum circumferuntur, pia fraude proxime ante JUSTINI M. aevum seculo 2do esse, ad meliorem religionem gentilibus persuadendam, conficta, luculentissimis exemplis probavit. Antiquissimas enim & genuinas Sibyllas, quales a Tarquinii aetate usque ad Syllana tempora viguerunt, deperditas esse, omnes fatentur. Cfr. *Diff. FLOD, Vestig. poef. Hom. & Orac. Sibyll.* SCHROECK *Kirch.*

autem e revelatione multa, in Religione naturali vera constituenda, sive demum per traditionem vetustissimam & famam, sive sacrarum litterarum lectionem, hauserint, probat constans harmonia doctrinae gentilium sanioris, cum antiquissimis Mosaicis scriptis collata, probant allusiones innumerae. Potiora argumenta in unum congeramus.

α) Ad oculum patet, probante SCHUCKFORD *Lib. cit.* T. I. *Proœmio* vetustissimos quosvis Scriptores, apud gentes fere omnes, vestigia servare antiquae traditionis, quae nisi basis instar ponatur, vix credi possit, quomodo adeo in una eademque re consentirent; quo antiquiores autem nobis supersint testes profani, eo magis etiam cum Mosaica deprehenduntur concinere narratione, eoque puriorem tenere Religionem, primitus hominibus ope revelationis traditam. Concernunt haec traditiones duo in primis momenta, 1) historica e. g. de mundi origine, humani generis fati, diluvio &c. 2) Moralia (s. de Deo, anima humana, & immortalitate. Quod ad historica momenta attinet, quis adeo ignarus esset, qui MANETHONIS AEGYPTII (ap. JOSEPH. L. contra APION. & SYNCELUM) SANCHONIATONIS *Phoenicis*, (utpote est apud EUSEBIUM L. I. *preparat. Evangel. Cap. IX*), ORPHEI Scriptoris, (cujus paucae reliquiae per citationes TIMOTHEI in *Cronogr.* & ATHENAGORAM *Legat. pro Christ. p. 18.* manserunt) BEROSI
Chal-

G. P. III. p. 31. Nec, quam in Christum applicant, *Ecloga IV.* VIRGILII hac de re agere cernitur. Idem quoque de Trinitatis Mysterio, quod PLATONEM e Scriptis Mos. mutuasse docent, de Christo, quem a SOCRATE tanquam Deum & hominem agnatum fuisse, CLEMENS ALEX. alii fingunt, statuendum; atque similiter in doctrina de resurrectione, extremo judicio &cet. vid. PFANNERI *Systema Theol. Gentil. purior.* Absit quoque, ut cum nonnullis totam Patriarcharum historiam in HOMERI Mythologia credamus explicatam.

Chaldaei (apud JOSEPHUM), fragmenta de mundi origine & mutationibus, non e Mosaicis illis, aut saltem eodem ex fonte aliquantisper traducta concederet i). Immo ad Indos & Sinenses eandem pervasisse narrationem, CLEMENTIS ALEXANDRINI est sententia. cfr. *Annot. GROTHI de ver. Rel. C. p. 25.* Hinc quoque inter Græcos senioris ævi, eadem percerebuit fama. HOMERUS passim in *Iliade* ἀρχὴν omnium rerum ἀρχὴν memorat. HESIODUS in *Theogonia* v. 116 sequi. ARISTOPHANES & APOLLONIUS RHODIUS in *Argonaut.* dicunt, *χρῶν πρῶτον γενέσθαι.* E græcis suas hausisse OVIDIUM in *Metamorph. Libro* traditiones, clarum adeo est, ut sponte se oculis nostris sistat similitudo earum cum Mosaicis fragmentis. Nec VIRGILIUS, qui HOMERI fuit imitator, antiquas has renovare traditiones in suo poemate neglexit. De prima telluris formatione, præter SANCHON. ORPH. cet. quoque ARISTOTELES *L. VIII. Φυσικῆς ἀκροῦς*, statuit, *κινήσει ποιῆσαι τὸν γῆν καὶ διακρῖναι*; ANACHAGORAS, *κοσμοποιῆντα γῆν* fuisse, & *πάντα χεῖρηματα ὅμω πεφυρμένα εἶτα γῆν αὐτὰ διακοσμήσαι.* Hinc PLATO multo clarius vocat Deum *δημιουργὸν τῶν πάντων*, mundi opificem, adeo ut CLEM. ALEX. in *Strom.* non dubitet vocare eum *ζηλωτὴν Μωυσεως*, Mosen autem *ἀριστὸν ἐξ Ἑβραίων φιλοσοφῶν-Μωυσὴν ἀπτικίζοντα k).* Inde quoque derivatur,
F
quod

- i) Difficillimum omnino est dijudicare, quid in his fragmentis genuinum sit, quidve restituendum; etenim multa in ejusmodi antiquis monumentis dubia atque incerta esse immo manere, ratio ipsa temporis loquitur. Qui vero omnia ex ORPHEO & SANCHONIATONIS prolata dogmata, tanquam spuria venditant, rem nimis exaggerant; quævis enim antiqua gens suos habuit Philosophos quorum dicta & monita memoriæ mandavit ac traditioni consecravit, donec scribendi ars eadem servanda curaret.
- k) Diu fuit de PLATONE disputatum, utrum ex Mose meliorem doctrinam hausserit. Quamquam vero omnino cum BRUCKERO &

quod ARATUS adeo perspicue pronunciet, *πάσας αγγυας με-
σαις είναι Διος*, Jovem fixisse omnia sidera, homines vero
esse *αυτῆ γενος*. Si porro historiam creationis hominis
consideremus, nemo est quin in his HOMERI *ΙΛ. VII. ὕμειο
ἔσε ὕδωρ καὶ γαῖα*, & HESIOD *ἔργ. κ. ημερ.* ubi Jovem fin-
git mandasse Vulcano *γαῖαν ὑδρὶ φερεῖν ἐν δ' ἀνθρώπων θεμεν
αυθην*, primavam videat originem. In iisdem *ἔργ. quō-
que innocentiae statum sine omni dubio depingit sub Sa-
turnio αὐτο*:

*Χρυσέον - - γενος μεροπων ἀνθρώπων
οἱ μὲν ἐπὶ κρονῆ ἦσαν ὅτ' ἕρῳα ἐμβασιλευεν
ὡς τε θεοὶ δ' ἐξῶν ἀκηδεα θυμὸν ἔχοντες
νοσφιν ἀτερ τε πονῶν καὶ οἰζυος . . .
θησάκων δῶς ὑπὸ κω δεδμημένοι, V. 108-120.*

cfr. etiam WIRGILIUM, Saturniæ regna, fauream humani gene-
ris ætatem, celebrantem. Nec difficile est cogitatu, qui fieri
potuerit, ut ultra Saturnum non progredierentur, cum an-
nales ipsis deessent. Vitam primavam vividis quoque
coloribus PLATO depingit, cum Deum pronunciet primos
pavisse homines, eorumque *ἐπιστάτην* (custodem) fuisse;
homines *γυμνὰς & ἀσρωτὰς* tum incessisse. Quæ denique
de mundi ætate, atque primitivi status mutatione s. de-
pravatione generis humani, passim memorant Veteres
Poætæ, ad Mosaicæ historiæ trutinam reduci debere, in
confesso est. Obtinet quoque haud infimum in momen-
tis

MARLES idem facimus, statuendo jure negari, PLATONEM ora-
cula sacra disciplinasque Judaicas inspexisse, & inde Philosophiam
suam condidisse (ut VOSS, cet. contenderunt; tamen absurde po-
neretur, PLATONEM sciendi cupidissimum, adeo aures suas tra-
ditionibus vulgaribus obturasse, ut ne quidem Judæos eorumque
sacra cognosceret (cfr. SCHROECK *K. Gesch.* P. I, p. 385).

tis historicis locum, antiqua de diluvio traditio 1); Etenim diluvium, quod sub regno Ogygis in Attica, & in Thesfalia sub Deucalione, existisse ferunt, non particulare fuisse & his regionibus proprium, sed universale illud Noachi awo obortum, licet deficientibus ante Ogygem & Deucalionem certis monumentis, horum regum feriori awo adscriberetur, admodum claris vincit argumentis SCHUCKFORD *sacr. a propb. hist. P. II. L. VIII. p. 259.* Attica enim regio quoad situm alta est & montibus circumdata, fluviis autem paucis interrupta, adeo ut nulum ibi exstare potuerit diluvium. Ratio autem, cur Deucalionis awo fingeretur diluvium, ea erat, quod hic Deucalion, Græcos in religione eruditurus, haud dubie argumentum sumsisse putetur e vetustioribus traditionibus. De cetero ipse Deucalion, (apud LUCIANUM *Lib. de Dea Syr.*) & columba ex arca emissa (apud PLUTARCHUM) sic describitur, ut omnes ejus characteres in Noachum quadrent, quapropter Noachi historiam in Deucalionem translatam existimare fas est. Mansit quoque Noachi memoria apud Sinenses, qui licet incertissima ac confusa servant monumenta, eo tamen nos ducunt, ut Fohi unus idemque, saltem non antiquior Noacho credatur. cfr. JERUS. *Betr. P. II. p. 228.* & SCHUCKFORD cit. L. BEROSUS haud obscure diluvium Noachicum memorat, & ABYDENUS ASSYRIUS (ap. EUSEB. *Præp. E. L. IX.* & CYRILL.) Noachum sub nomine Xisuthri insinuat. Immo apud Græcos, fuit arca Noæ cognita, quod ex Apamæis monumentis (quæ genuina esse BRYANT probavit) inducit Ill. HALLER, *Epist. contra VOLTAIRIUM P. II. p. 87. Sv. Ed. ut quoque p. 89.*

F 2 osten-

1) Contraria sedet BUDDÆO *Hist. Ecclej. V. T. p. 149. L. I.* opinio, sed omnino nullis probabilibus nixa argumentis. GROTIUS ipse in libro *de ver. Rel. p. 76.* e DIODORI testimonio probat, Mosaicam esse narrationem.

ostendit, convenientiam quandam inter historiam Angelorum apud Abrahamum hospitantium & Jovis historiam; atque Babylonice turris edificatores sub fabula heroum Gigantum depictos, demonstrat GROTIUS, *Annot.* 97. Immo etiam fabulas sacras denuo suis circumvestire & permutare fictionibus, Gentilium Scriptores solent. Exempla habemus in Andromeda, Hercule cet. quorum historiam ex Jonæ illa refictam esse, nemo non agnoscat. cfr. BASTHOLM *Jodisch. bist.* P. II. p. 296. Itaque, quod ad omnes has adinet vetustas historias, earum omnino originem ex Hebræa gente, non autem ex sola fictione s. ratiocinio, derivandam esse, æquus quilibet fatebitur judex *m*). Devenimus jam ad momenta moralia religionis naturalis probanda, & e revelatione deducenda. Atque post acutissimos arbitros, JERUS. & SCHUCKFORD *n*) putamus lucidissimum satisque probatum esse, antiquiores orientales gentes omnes, veram ab origine servasse religionem, qualis apud Judæam gentem tradita fuit, adeoque sanam religionem longe antiquiorem esse idololatria, quod abfurde negant Deistæ. Scilicet sub nomine *Cnepts* Ægyptii, nomine *Chang Ti* Sineses, & *Bringh* Braminæ Persici, summum coluerunt unicum Deum. Veteres Palæstinenses, Idumæos & Arabes, Jehovam verum coluisse, vel ex Melchisedeci, Jobi cet. exemplis, abunde liquet. De Moabitibus ex *num.* XXIV. II. constat. De Phœnicibus PHILO BIBLIUS testatur, quod supremum cognoverint Numen, sub nomine Jehovæ, licet cito in fallas delapsi fuerint

m) Alia bene multa antiquæ traditionis documenta, in profanis scriptis residua, diligentissime congescit GROTIUS in *Annot.* EUSEB. *Præpar. Evang.*

n) *Betrakt.* P. II. C. I. *Connest.* P. II. p. 390, MEINER, *Hist. doct.* de vero Deo.

rint opiniones. (SCHUCKFORD P. III. p. 45. sequ.) o). Græcorum religionem antiquam, ex sparsis Poëtarum fabulis dignoscere juvat. Instar omnium nominasse juvabit Homerum & Pindarum, qui quamquam jam tunc temporis innumeris cum superstitionum portentis conflictari opus haberent, tamen "hinc inde vellicantis veritatis quasdam translucere scintillas præbuerunt," (verba sunt AURIVILLII in *Diss. de vestigiis Theol. Natur.*) & multa protulerunt pia, egregia atque vera, unde judicari possit, rationem eorum aliquanto excultam & Divinitus edoctam fuisse. Veritates, quas de Dei unitate & attributis, sapientia, gubernatione, de animi natura, virtute omnigena sectanda, de Angelis, egregie proposuerunt, manifesto testantur, illis nec veram notionem nec scintillas avitæ cujusdam Revelationis defuisse p). Hæ enim veritates, si rationi adeo essent perviæ, qui factum est, ut lapsu temporis cum absurdissimis permutarentur fabulis, nec sagacissimis Philosophis rite easdem revocandi facultas esset data, nisi forte ad miracula provocetur, quæ tamen non contigerunt. Vaga semper & imbecilla mansisset mens, Di-

F 3

vinæ

o) De Gothorum religione, rite FRONDBIN in *Witterh. Acad. Handl. Tom. IV. p. 332.* "Desse sanningar synas med mera skål böra anses som svaga lämningar af en ifrån världens första tider och de äldste stamfäder fortplantad, men med grofva villfarelser förmökad renare lära."

p) Præ omnibus conferatur elegantissima *Diss. Præf. ELDERO Ups. Specimen Philosophiæ Homericæ & AURIVILL. vestigia Theol. Natur. in Poët. Vet. atque POPES præfate to Homer.* In judicio autem de veterum Gentilium Theologia ferendo, duas evitemus oportet quasi fyrtes, ne scil. omnia eorum de Deo &c. pie prolata & cogitata atro notemus carbone, & eodem pretio cum spurcissimis habeamus commentis, nec cum nonnullis Deistarum, falsè eorum applaudamus opinionibus.

vinae expertis instructionis; quidquid vero primitus traditum a majoribus hauserint gentium veterum Aborigines, id propius cernitur ad sacrum accedere fontem; sed immensum & fere incredibile est, quam tristis & absona idololatria per totum fere Graecorum aevum, veram subverterit religionem, si tantum nonnullos exceperis, Socratem, Platonem, cet. qui meliora edocti, veritatis quasdam emisericint scintillulas. Rite ergo monet *Clark* in *discours on Attributes of God*, Divinam providentiam interdum viros excitasse, qui inter alios eminent & pietate in Deum praerent. Quod potro non omni destituti fuerint traditione sacra & Divino auxilio veteres, satis loquitur spes illa augusta, quam apud Persas, Indos, Graecosque saniores, ceperant de futuro quodam legislatore & liberatore eximio, qualem V. T. oracula Messiam solenniter ac uberrime depingunt. Socrates in *diat. cum Critone*, & Plato in *tract. de precibus*, auguratur: Divinum quendam doctorem venturum, qui melius ea edoceret, quae haecenus ipse proposuerit q).

β) Attendatur in hac materie frequentissimus mos Veterum Philosophorum & Legislatorum, alias invisendi regiones. cfr. Diodor. Sic. L. I. & V. ad fin. r). Clem. Al. *Stromat. L. I.* ubi Aegyptios, Graecorum praecipuos nominat; & Herodotus, Lucianus, cet. testantur, Graecos litte-

q) Fuisse expectationem Messiae, per totum Orientem divulgatam, cernere licet e Suetonii testimonio: "percrebuerat Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judaea profecti, verum potirentur vita Vespas. C. IV. Taciti hist." Pluribus persuasio inerat antiquis Sacerdotis litteris (oraculis quippe Sibyllinis) contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens.

r) Hic omnino optime res Aegyptias expediens, Moesem laudet sapientia & fortitudine excellentem legislatorem, & Iehovae nomen extollit,

litteras accepisse a Phœnicibus, qui eadem utebantur scriptura cum Hebræis, adeoque cum iis aliquod commercium habuere. Cum de cetero legislatio Mosaica per orbem adeo propter sapientiam & novitatem innotesceret, fieri vix potuit quin hanc sibi redderent notam veteres legislatores, licet in legibus suis condendis nullam ejus mentionem fecerint. Probat ipse Grotius in Libro de *ver. Rel. p. 17.* antiquissimas leges Atticas e legibus Mosis originem duxisse. Fuit quoque legislatio Mosaica, & historia exitus Israëlitarum ex aegypto, Tacito cognita. *L. V. c. 3 9.* Strabo, Mosen sæpius allegans, sacerdotem eum (Ægyptium licet falso) vocat, Eupolemus autem τὸν πρῶτον σοφὸν salutatur. Immo miraculorum Mosaicorum fama ad gentes pervenit, quare eum inter Magos relatum voluerunt. Cfr. *Buddæi Hist. Eccl. P. II. Sect. I. §. 37.* & *Grotii Annot. p. 115. sequ.*

γ) Vestigia antiquæ traditionis quoque servantur in ipsis sacris ritibus antiquorum populorum fere omnium, e. g. sanctificatione septimi diei. Hesiod. εβδόμων ἡμέραν ἡμαρ. Vetustissima dierum nomina, & mos computandi tempora, ab Ægyptiis ad nos translatus, ad hanc veterem historiam alludit, docente Grotio *Annot. p. 62.* Multo autem lucidiora indicia sacrorum Dei institutorum cerne- re licet in sacrificiorum, conventuum religiosorum & sacrarum epularum more s) per omnes vetustas gentes frequentissimo. Quæ omnia ad religionem spectantia, cur adeo constanti consensu adoptata fuissent, nisi a prima origine Deum agnovissent auctorem? Unde porro oracula Divina anquirere, fingere & ludicris tandem circumvestire fabulis, in animum induxissent, nisi lacte velut materno

s) De horum omnium Divina institutione vid. *BUDDEUM l. 2. p. 116*
JERUSALEM, SEILERUM in Theol. Dogm.

terno eam imitaberat opinionem, Deum primitus se hominibus manifestasse, & speciali cuidam genti, Judaica nimirum, mandata sua dedisse? cfr. *RUDDÆUM* p. 627. Probat certe similitudo rituum religiosorum apud gentes profanas & Judæam, plerosque hos ritus fuisse ad imitationem illius populi adoptatos & conservatos, unde originem primam ipsæ gentes duxerunt. Alias incredibile esset, cur constanter adeo retinerentur, & a primavo non declinarent usu. Longe quidem majorem apparatus ceremoniarum introduxit pro frequentiori Deorum numero idololatria, & pessime derurpavit, quas e majoribus suis acceperit saniores; Simplicissimum autem ritum sacrificiorum, precum, sacrarum lotionum, una cum purioribus de summo Deo notionibus, e prisca Noachidarum s. Patriarcharum stirpe derivatum esse, ex ipsa antiquitate hujus stirpis colligitur. Falsum itaque est & historicae omni certitudini valde repugnans, quod fingunt adversarii, Moësaicos omnes ritus ex profanis gentibus oriundos esse, imprimis ex Ægyptia quam temere laudant, quum tamen, si a vulgatissimis ceremoniis quæ omnibus gentibus æquales mansere, discedas, atque si salva manente re, Moësa quoque nonnihil quod innocuum & salubre invenerit in gente Ægyptia, imitandum Judæis proposuisse largiaris, summa discrepantia deprehendatur sive specialia & huic genti propria instituta, sive usum eorundem & intentionem vere Divinam spectaveris; Ritus quidem indifferentes sunt, res autem omnis a vero eorundem usu pendet; Profana gens Ægypt. idololatricæ superstitioni eos consecravit, quum Moësa e contrario Divini summi Numinis cultui omnem suam composuit œconomiam. Ipsa demum gentium mysteria, quæ sacro silentio mandata & a profano vulgi ore remota erant, e Judaicis sacris ritibus & festis reflecta esse videntur. Non nostri est consilii,

filiis, in longam nos immiscere disquisitionem de origine, scopo & sensu mysteriorum: (μυστηριωδὴν θεολογίαν Plutarchus vocat). Orpheus fere is salutatur, qui ex Ægyptiis, teste Diodor. Sic. διονυσίας, θεσμοφορία, τελεταί των ελευσινίων, h. e. sacrorum rituum apparatus didicerit, & apud Græcos propagaverit, immo περι ασεβων τιμωρίας εν αιδε, και λειμωνος των ευσεβων disseruerit. cfr. HARLES *Introd. L. Gr. p. 15.* & BUDD, *P. I. p. 801-807.* Quamquam vero ex Ægyptiis reportasse fertur Orpheus traditiones sacras, ipsæ tamen longe antiquiores fuerunt. De cetero carmina ejus quamquam deperdita: *ισεος λογος, η εις αιδε καταβασις,* & *θεογονια* s. de mundi origine, aliique hymni, in eam nos ducunt opinionem, multa in iis latuisse, quæ harmoniam cum Mosaïca œcon. prodiderint; ipsorum vero mysteriorum quendam saniozem fuisse usum, qui temporis successu fere exspiraverit, immo cum spurcissimis vitiis commutaretur, quis negabit? Quum enim temporis successu religio sanior ad vana transiret commenta, factum est, ut tot absurda immo turpissima mysteria (Eleusinia, Cerealia, Bacchanalia, cet.) excogitarentur, quibus non virtuti, non castis moribus, sed flagitiosissimis litabatur libidinibus.

δ) Si per summa ire vacaret capita historię Judaicæ, haud difficili negotio probari posset, peculiarem quandam vim fuisse Mosaïcæ legislationis in gentes quasdam vicinas. Ab eo enim tempore, quo Lex Divina per Mo-sen lata fuit, perpetuo sanctissimoque divortio separabantur Israëlita a colluvie idololatrarum, unde hi ipsi non levem arripuerant ansam Divina venerandi miracula & ad cultum verioris Dei propius accedendi. Exempli prostant indubia, in Bileamo Moabitarum vate, cujus vestigia premere sine dubio multi alii cordatiores homines ejusdem gentis in animum induxerunt; subjugatis in gen-tibus,

G

tibus,

sibus, Idumæa, Philistæa, quæ variis occasionibus e. c. certamine Davidico & Samonico, ad agnoscendam Jehovamajestatem, invitius licet, permovebantur; in ipso florētissimo Salomoneo avo, quo multi gentilium ad Judæorum conspiciendum sublimem Dei cultum mirabundi confluerant, & ex ipsa constitutione religionis, atrium peculiare sibi paratum invenerant; in clade demum Assyriorum solenni, multisque aliis. Quibus ex eventibus equis iniquius judicabit, sanio rem neminem veriora edoceri potuisse? Desunt nobis quidem annales, & qui supersunt, Judæam specialius tangunt gentem; sed quam multis in rebus ultra probabilitatem non ascendit historia! Post tempora vero captivitatis Babyl. cum Judæi constantius in religione sua avita persistere, & ab idololatria sibi sanctissime cavere inciperent, per Asiam autem græca lingua usitatior & vulgatio fieret, sensim quoque ad religionem Jud. amplexandam alliciebantur gentiles, debita veneratione illius tacti & permoti; unde tot Profelytarum genera, tot Judæorum novæ colonix, tot gentilium ad Palestinam velut affluxus, eorumque ad publica Jud. sacra patentissimi aditus, qui tanto minus coacti recesserant a fatuis suis & præconceptis erroribus paganis, quanto fit certius, Judæos tum temporis tolerantiam aliarum gentium & religionum maxime exercuisse. Hinc veri Numinis cultum, per plura secula ante natum Christum, a siquante latius per Romanum Imperium, imprimis Ægyptum, Syriam & Asiam minorem) divulgatum cernere licet.

e) Ipsam tandem Analogiam heic juvat consulere. Lectione aliorum Scriptorum, ita eorum advescimus cogitandi dicendique rationi, ut dein multas & veritares & formulas inde mutuemur. Sic Poëtarum Sacrorum alius ex alterius fingebatur ingenio. Moses omnium erat quasi

πρωτοτυπος. Sic Græcis Homerus præivit. Arrogans & mendax apud nostrates censeretur, qui fontes unde hauserit non agnosceret, quamquam eosdem non semper necesse habeat indicare. Hinc colligi poterit, cur in antiquis traditionibus, earum fons ut plurimum non significetur, aut quia eundem ignorarent ipsi, aut prætermitterent; Interdum tamen allegant, ut Longinus Ill. Scriptor, Mosen. Sed hæc clariora sunt. Verbo jam omnia complectamur. Tota gentilium religio sana s. naturalis, quæ cum ipsa quidem gente coæva fuit, primordia sua debet non tantum rationi, sed quoque revelationi, & sensim ad exemplum Mosaicæ constitutionis aucta videtur, temporis autem decursu a pristino suo flore delapsa & horrendis incrustata errorum vitiorumque portentis, donec per Christum plenissime restituta prodiret.

§. VIII.

Admiremur igitur & sancta amplectamur veneratione felicissimam, quæ ope religionis exortæ Christianæ, non modo ad excolendum, verum quam maxime emendandum sedandumque animum humanum, præbebatur, ansam. Per tot enim secula, quibus inclavit vixitque Christiana religio, sensim humani generis teterrima discussa sunt præjudicia, horrenda idololatriæ, errorum & vitiorum profligata monstra, sanus Dei cultus restitutus, ex ipsa demum barbarie, in quam langvescens incidit orbis, cum ceteris scientiis artibusque, Diva enituit hæcce doctrina, novis indies ad hocce tempus adaucta luminibus. Quo autem clarior & excellentior hæc fuerit lux, eo magis quorundam Philosophorum, *BAYLI*, *VOLTAIRII*, cet. oculos fere fascinare visa est, ut cum sanctam ejus originem nollent præ stultissimo fastu agnoscere, ad in-

credibilia confugerent mendacia, omnique reclamarent historicae veritati. Siccine ergo ab his vago superbientibus ingenio, aut necessaria quadam factorum natura, philosophiam veriore e densissimis pristini ævi tenebris enatam ac velut e mortuis resuscitatam censēbimus? At vero in Galilæa gente primum adfulsit Sidus Christianum. Cujus ergo hominis sapientioris ingenio? Neminem adhucdum confingere, nec ad suum præsens ævum felicia hæc humani generis fata perducere potuere adversarii. Quid ergo? vident, admirantur, stupent; at præficta negant fronte, haud aliter ac torridarum regionum Africae incolæ, beneficum licet experiantur solem, eum tamen intoleranda accusant mente, maledicunt. Quamquam autem religionem Christi vexent, ipsumque Statorem blasphement hostes, propterea tamen nunquam religiosæ hoc veritatis decidet lumen aut permutabitur, sed dispulsis nubeculis, quas odiosa molimina & infirmitas humana prætenderint, serenissimo emicabit suo fulgore. Sic ergo Divino Doctore Christo, qui idem utpote Divino oriundus sinu, humani generis totius est restitutor, universa dudum religio & philosophia effloruit, intra Samariæ, Judææ, Sidonis & Tyri fines primum mirifico modo instituta, & postea per totum fere terrarum orbem propagata. Providentiæ hinc perspicere juvabit summum fastigium in excolendo nostro genere. Etenim si justo examine gentilium proxime ante Christi ævum viventium ponderamus placita, eademque cum doctrina Christiana comparamus, immensus ex una parte nobis sistitur defectus, ex altera vero, locupletissimus veritatum omnium salutem nostram spectantium thesaurus & evidentiae gradus summus. Nec desunt nobis, hac in diducanda re, fidesima monumenta; scripta scil. non modo novæ religionis doctorum, verum etiam Philosophorum ex paganis-

ganismo, quæ utraque authentica esse nemo sanus dubitabit. Redit ergo univèrsa disputatio ad comparationem status ante & post introductum Christianismum fideliter instituendam, cujus primas tantum duxisse lineas, haud a scopo alienum erit. Atque ut obiter in antecessum de statu orbis politico moneamus, fuit is omnino talis, ut omnem interciperet fallendi occasionem, contra vero scrutandæ novæ doctrinæ omnis generis adferret adminicula, immo etiam impedimenta; Non in barbaram ætatem, sed auream Augusteamque artibus florentissimam, incidit Christiana reformatio; non in angusto quodam mundi circulo, sed patentissimo Romani imperii ambitu, non barbara quadam lingua, sed eruditorum communi, tradita ac evulgata. Totus vero hic politioribus suis Illustris moribus orbis, Judæa excepta gente, miserima tamen idololatriæ & superstitionum contagione foedatus erat ac depravatus, adeo ut si statum religionis ejusque influxum in philosophiam & publicos mores consideraveris, summa imis erant mixta. Ægyptus inprimis foecundissima fuit mater portentorum; Græcia erat delubris, Deorum familiis ac generationibus, insanis oraculis, turpissimisque cerimoniis ac mysteriis obruta. Tenerrima, quæ natura duce remanere apud nonnullos, castioris Dei cognitionis & cultus semina, Philosophorum & distraxerunt infinitæ lites, & sapissime penitus suffocarunt. Nobiliorum ac illustrium censebatur esse prudentiæ, aut plebejam ridere religionem ac fabulas despicerè insanas, omnia juxta habere, nihil sancti nihil intemerati, aut voluptatibus continuis omnem consopire ambiguan curam hujus ac futuræ vitæ. Sacerdotum non erat officium, instruere plebem ad virtutem sectandam & cultum Dei internum atque conscientiæ stimulos observandos, sed tantum superstitionas vagasve tueri ceremonias. Philosophiæ

vero nec virium nec auctoritatis erat, omnem debellare præjudiciorum & errorum cohortem, ut potius novum ej adderet robur. Hinc tanta divortia sagacissimorum virorum, totque sectarum origines. Orientalis secta, duo principia æonumque infinitum influxum confingens, phantasiæ lusibus tantum non unice favebat; Epicureorum doctrina de Diis, quos summe otiosos finxit, voluptatibus indulgit omnis generis; Stoicorum apathia & superbia Deos infra dignitatem detrusit; Platoniorum sublimis de natura Divina differendi ratio homines, Deorum ipsorum velut particulas, ad eorum ferme dignitatem temere evexit; Academicorum subtilitas Divinam providentiam fato æternæque materiæ legibus innumerisque ambagibus restrinxit; Scepticorum denique de omnibus dubitandi pruritus nihil veræ religioni reliquit subsidii aut nutrimenti. Hinc moralitatis quoque universa facies obscurata atque dehonestata, hinc immortalitatis maxime dubia fides a). Tantis e sententiarum pugnis, immo ridiculis de Deorum æterna natura figmentis, si vel maxime quidam meliori imbuti institutione caput exferere potuerunt, manca tamen in plebe mansit & auctoritate destituta lex naturæ. Nullus erat talis codex, ad quem dubitantes recurrerent. Hinc enim vagabundæ sapientiorum hypotheses, illinc falsissima offendeabant oracula. Ratio ipsa, postquam vires exhauferat, tranquillitate orbata deliquium pati cogebatur. Quod si ad Judaicam œconomiam ejusque gentis statum, apud quam Divina providentia puram manere jusserat doctrinam, animum ad-

ver-

a) *It was an imperfect view of reason, or perhaps the decayd remains of an ancient Tradition which rather seem'd to float on mens Fancies, than sink deep into their hearts - - no nation of the world publicly profesed it and built upon it. LOCKE, Reasonabl.*

veritas, non multo illustrior illius obvenit facies, quæ
 præjudiciis vitiisque popularibus admodum decurpata.
 Gliscentibus enim diversis sectarum partibus, quarum po-
 tior pars (Pharisæorum nempe) ad inanes & minutissimas
 res, atque majorum suorum e placitis immensum ad ce-
 rimoniarum apparatus, remoto sano earundem usu, de-
 flexit, pietatem non internam illam, sed fucatam & fal-
 sissimam, prætendit, Divinamque bonitatem perpetam ad
 Judaicos ritus restrinxit; ceteri vero, aut solitariam se-
 ctantes vivendi rationem, aut præse legem Moïsi implen-
 tes, Divinam autem providentiam & æternitatem parum
 curantes, sibimetipsis tantum se natos existimarunt, oc-
 cubuit sensim vera religio nonnullos apud saniores super-
 stes b). Quæ quidem quomodo satisfactura esset & Di-
 vine conservandæ revelationi, & generaliiori humani ge-
 neris institutioni promovendæ, non oppido augurandum
 fuit. Ultimum quod remansit piis Dei cultoribus & pro-
 bioribus, per Prophetica edoctis scripta, spes fuit de uni-
 verso & gentium & Jud. populi doctore; aliunde enim
 spectandam esse restitutionem, quam e præsentissimis sui
 ævi languescensibus adminiculis, luculenter perspexerant.
 Atque inter tot Gentilismi detestabilia portentia, tot frau-
 des Judaismi, tot vota piorum flagrantissima, tot Philo-
 sophiæ inutilia molimina, enata est Christi religio, finem
 factura miseriæ humanæ summæ. Inclaruit moralitatis
 lex, per revelationem Christi lata, rationi conspicua, in-
 numerisque documentis comprobata. Cujus quanta fuerit

b) "a people Jewish, very unfit and unable to propagate the doctri-
 ne of one God in the world, and diffuse it through the nations of
 the earth, by the strength and force of that ancient revelation, up-
 on which they had received it." LOCKE, Reas. p. 531. HESS L.
 t. Abjehn. X, Israel in rucksicht auf d. mensch. geschl.

rit sublimitas & excellens ad beate vivendum composita vis, ex toto illius ambitu cernere licet c). Quæ enim præstantior cogitari poterit scientia, quam quæ Divinum nobis sistit Numen perfectissima sua luce, quantum scilicet ab imperfectis nostris mentibus perspici possit, ornatum, summa intelligentia, potentia, summa in consiliis suis dirigendis legibusque ferendis Justitia, bonitate & sanctitate instructum; Creatorem totius universi, providissimumque humanarum non modo rerum & eventuum, verum quoque animi humani gubernatorem, restitutorem, atque beneficum perpetuæ felicitatis statorem? Hac exo-riente revelatione, sensim obmutuere insana gentilium oracula, Judæorum vero obturabantur ora; Sensim & indies incrementa cepit Religio Divina, non Fanaticis nec violentis adminiculis, sed vera Dei auctoritate animos evincente, suffulta; qua ipsa re a falsis quoque omnibus distinguitur religionibus, Sensim etiam cultum adoptavit orbis; immo Philosophi ipsi gentilium in succum & sanguinem multa sibi invitis fere vertere videbantur. Quorum si lustremus scripta & cum antiquiorum illis conferamus, quam distant invicem! adeo ut cœcutiens meridiana luce omnino sit, qui formam ingenii ope Christianismi non mutatam perspiciat. Hinc Epictetum, Antoninos, Arrianum, ceteros, multo jam subtilius de Deo, anima, virtute & immortalitate differentes, quam pium ipsum Socratem, Platonem, Ciceronem videmus. Nec tamen omnia paganismi præjudicia aut errores cito mox debellari potuerunt. Enimvero nihil per saltum, sed gradus fieri in scientiis omnibus solet, multo minus in religione.

c) Nequiequam nos moratur absona & universæ historię inimica opinio quorundam, qui Christi & Apostolorum doctrinam non inter se exacte convenire, diversumque scopum habuisse, calumniantur.

in hac enim, quae praecipitanti non nititur iudicio, sed ma-
tura mentis persuasione, gradatio observanda fuit summa.

Primum quidem Christianismi promovendi gradum tenuerunt omnes, quibus miraculosa contigerunt dona, unde facile colligere potuere, doctrinam tanta munitam supernaturali virtute, tamque sublimia propinquantem dogmata, vere Divinam esse censendam, eamque propterea gentilismi loco mox substituendam. Hinc felicissimum derivare oportet illius per plerasque imperii Romani regiones progressum. Majoris vero molis erat, ethnicismum, quatenus in constitutionem civilem & eruditionem influeret, subvertere, quod tamen necessario temporis successu contingeret, quamquam certum sit, naturam Christianismi nequaquam statum quendam hierarchicum instituendum svadere. Mirum enim non est, Ethnicos Philosophos ad extrema usque provolare voluisse, pro suis aris & focis certantes. Atque ad hos qualis habitus Christi doctrinae fuerit, cum in utramque partem disleri possit & a peritissimis disputatum sit, paucis heic dijudicandum erit ingenue. Videbantur quippe sibi nonnulli, e. c. BRUCKER, (*Diff.*) vestigia deprehendere Christianarum virtutum in scriptis recentiorum Stoicorum, Epicteti, Aurelii, cet. quod tamen alii, inprimis SCHROECK, *Kirch. Gesch. T. III. p. 77. sequ.* negatum iverunt, eas quippe ob causas, quia minus sit probabile, Senecam, cujus tempore Apost. scripta nondum prodire aut divulgata erant, aliquid inde in suam rem contulisse, nec Antoninum ipsum, cet. qui summe detestati sunt hanc novam doctrinam Galilaeorum utpote insanam & superstitiosam, (cfr. *ARRIAN. Diff. EPICT. L. IV. c. I. ANT. L. ad se ips. L. XI. c. 8.*) his e fontibus haurire potuisse. Verum enimvero ex hac quidem parte concedentes, scripta Apost. non ab iisdem perlecta fuisse, iidem asserimus probabili-

liter, multis aliis e causis & fontibus gentilium arva irrigata fuisse revelationis sanctissimo rore. Etenim α ex scriptis plerorumque patrum primorum secul. JUST. MART. ATHEN. IRENÆI cet. qui gentili philosophiæ addicti fuerant, antequam Christiana amplecterentur sacra, clarum est, multos jam Philosophos ideam habuisse novæ & per Christum restitutæ veritatis. Ipsi quoque frequentibus apologiis, quas imperatoribus Romanis dicaverant, satis inculcarunt atque probarunt tam excellentiam suæ professionis, quam vitæ integritatem. Patet quoque β) ex hæreticorum & adversariorum objectionibus, haud exiguam fuisse nominis & fidei Christianæ famam, adeo ut iis ipsis integrum esset, antiquam suam restituere atque perpolire aliquatenus inde religionem. CELSI enim & PORPHYRII, JULIANI fragmenta perlegendibus, oppido liquet, quam diligenter omnem moveant lapidem in fordibus Ethnicismi expurgandis, calumnia vero Christianismo affricanda. Quod nec hodiernis Deistis invetum esse solet, qui quamquam barbara ipsi socordia & ignorantia præpediti, nihil ultra alienam famam sapiant, tamen ad suum ingenium omnia referre arrogantes non dubitant aut verentur.

γ) Philosophia ipsa Eclectica, quam AMMONIUS SACCAS, (Sec. II. fine) Christianis natus & educatus parentibus ad religionem autem gentiliom dein deficiens, dissentium Philosophorum æternum sedare gestiens, Platonismo tamen ut plurimum favens, condiderat, videtur quoque sine dubio fuisse ultimum gentilis philosophiæ repurgandæ documentum, magnumque ad Christ. Religionem habuisse respectum. Cfr. BRUCK. *Inst. Hist. Phil.* p. 331. unde verba quædam mutuare juvabit: *"cum elegantiora & veriora haud pauca apud Christianos inveniri convictus nosset, metueret autem ne inepte meliora reliquisse videretur, Platonem naturam induit, mutando, variando, pingendoque,*
toni

toni eos sensus affinxit, qui Christianis propiores essent: tum quæ præstantiora Christianorum dogmata erant, recocta & ad sui systematis normam reformata recepit vel quæ recipere non poterat, verborum tamen similitudine imitatus est, ut haberet, quæ Christianis triumphum acturis opponeret, quæque in suo solo enata tamen esse gloriaretur.

δ) Qui exquisitius hominis naturam atque historiam consideraverit, satis deprehendet, innumeras esse res ac veritates, ut quoque præjudicia, quæ per vulgi ora & famam sensim velut serpere soleant & in mores vehementer influere. An credibile est ergo, Stoicos Philosophos, ipsum jam Senecam, qui Neronis ævo (ex cujus aula multos sibi addictos habuit Paulus) floruit, Epictetum, qui Domitiani crudelitatem expertus, Nicopolin Epiri se contulit, Antoninum Aurelium, qui post multorum delationes atque Christianorum Apologias, edictis faventioribus δ) cavit, ne Christiani lacerentur, sed eum qui Christianum accusaret, vivum exuri jussit; hos & alios nihil in suam commonitionem aut perfectionem contulisse, quæ de Christianorum piis moribus, mentis emendatione & futuræ vitæ spe audierant, licet ipsi nimia Stoicorum occæcati sui confidentia, de fonte harum veritatum errarent, & antiquis adhærerent polytheismi præjudiciis? Collabefactis vero iis, cito per universum fere orbem triumphavit justa causa revelationis. Simplicitas quidem doctrinæ ipsius, ejusque lucidissima cum humanæ mentis natura harmonia, hoc imprimis secum tulerat insuperabile agmen, quo vacillantia conciderent ethnicismi propugnacula; nec leve addiderat robur, miraculorum longe cellissima dignitas & fides, quæ cum in frequentissimum & publicum hominum cœtum ac locum non

δ) Cfr. FABRICII *Lux Evangel.* p. 229.

non ostentatorum sed simplicissimo proborum hominum more velut prodirent, stuporem ac admirationem incusserant non modo inficetæ plebi, sed ipsis quoque politicis ac principibus. Consideremus adhuc, quantam vim in universæ cujusdam gentis cultum habeat sollicita puerorum institutio, quot infinitis fere mandris hauriri scilicet cognitio plerorumque, qui ipsi matura mentis gaudere non possunt exercitatione; annon in propatulo erit, emendationem tantum non omnem ex christianorum cœtibus, scholis, dictis factisque profluxisse. Jure ergo ATHENAGORAS in Oratione sua pro Christianis, Antonino Philos. dicata, profiteatur ac urget, virtutem omnigenam e Christo & ejus veris asseclis, non autem ex gentilis Religionis propugnatoribus derivatam fuisse. De Juliano testantur GREG. NAZIANZ. *Orat. I. in Julian.* & SOZOMEN. eum ad imitationem Christiani cœtus parasse profanorum dogmatum prælectiones, tum precum saniorum formulas publice canendas, tum initiationem, hospitales domos & pauperum diversoria, tum quoque multa alia ad restituendum gentilismum cogitasse, sed sine eventu. Longe lucidissimum denique revelationis documentum in hodierno philosophiæ culmine conspicuum esse, tum antea indicavimus, tum historiæ auctoritate credere fas est. Renascentibus enim reformationis ævo litteris quibuscumque, religio, quam opem nanciscabatur ex philosophia, eam etiam huic vicissim imperiit, adeo ut felicissimo connubio ad florem reipublicæ non minus litterariæ quam civilis utraque conferret. Diutius autem hæc persequi vetat hujus loci brevitatis e).

e) Egregie autem totam hanc materiam illustrarunt JERUSALEM, *Betr. P. I. c. 8. P. II. c. I. sequ.* & *Predigten I.* GELLERT *Mor. Vorl. III. IV.* LESS *uber Relig. P. II.* NÖSSELT, *Vertheidig.* Conferantur quoque BRUCKERI *Hist. Philos. & Diff.* Celeb. PORTMAN, *revelationi quid debeat Philos.* SCHROECK, *Kirch. Gesch. P. I. p. 368-408 Diff.* Prof. BOËTH, *de verit. Rel. Chr.*